

de ultra marinis partibus rediens, ibidem est hospitatus [a]. Eos sic allocutus est, dicens: *U*nde, boni fratres, et quorum tenditis? Qui dixerunt: *A*legati Faventinorum sumus; ad adjutorium [b] petendum contra Ravennates venimus, sed nullus est in hac provincia qui nobis contra eos juvamen velit impendere. Tunc Comes, videns eos, quasi navim, omni vento salubri penitus destitutos [c] et fluctibus inundari [d], dixit: Quid vellet vestra civitas auxilium offerenti impendere? Qui dixerunt: En nos et civitas nostra sub jugo fidelitatis in perpetuum sit, et portarum claves accipiat; si hanc verecundiam et hunc nobis perpetuum dolorem lenire [e] possemus. Illico vero Comes, extracta chirotheca [f] de manu in manus legatorum imposuit, promittens sese ad praedictum tempus firmissime, scilicet in kalendas madii [g], armata manu venire Faventiam. Et sic, ab eo accepta licentia, repatriarunt [h] animo laeto et vultu jucundo, quod lingua nequit [i] exprimere, cum laudibus et canticis. Et more solito consilio per campanam [j] ad episcopium coadunato, ut superius dictum [k] est, narraverunt. Et dum haec in consilio recitarentur, legatos torvis prospexerunt [l] oculis, dicentes: Ergo adjutorium Francorum expectamus? Quid plura? Tandem rubore suffusi, male recepti sunt. Transacto horum temporis spatio, et ecce Ravennatum exercitus [m] in manu potenti et brachio extento, apud Cesaurolam [n] omnia depopulando, inimicabiliter est hospitatus, et arborem illam, ut praedixerant, inciderunt; et dum regredierentur, et essent inter Alberetum et Pratam [A] hospitati, armis depositis, ecce Comes de Francia, adjutorium celitus missum at patriae salus, cum quinque centum militibus sub duobus vexillis militans. Die advesperascente apud Sanctum [B] Proculum est hospitatus, et quod promiserat, adimplevit. Cives vero, credentes ipsos esse inimicos, miserunt exploratores ad videndum, quisnam esset exercitus. Eos linguis francigenarum [o] loquentes audierunt. Illi vero reversi nunciaverunt consulibus salutem et civitati toti, dicentes: Francorum sunt. Toti denique cives veritatem dixerunt: Comes est. Et tum ad eum omnes catervatim accesserunt, et cum honore ei largissime concesserunt expensas. Quibus illico Comes tale verbum protulit, dicens: Quae nova? Ubi hostes sunt? et quo iverunt? [N] Qui dixerunt: arborem inciderunt; prope sunt, et nostro in territorio [q] jacent. Comes vero, audiens eos nostro esse in territorio,

[a] est hospitatus, Codd. M. et A. In C. V., etiam hospitatur. — *[b]* Ad adjutorium, C. V. In C. M. deest ad. — *[c]* penitus destitutos, C. V.; penitus destructor, C. M. — *[d]* et fluctibus inundari, C. V.; et fluentibus inundare, C. M. — *[e]* dolorem lenire, C. V.; dolorem linire, C. M. — *[f]* extracta chirotheca. Sic lego; cyroteka, C. M. — *[g]* in kalendas madii. Sic Codd., in quibus saepe, pro maii, legitur madii. — *[h]* repatriarunt. Sic Codd. M. et V.; repatriantur, C. A. — *[i]* quod lingua nequit. In C. M., quod lingua nequid. — *[j]* consilio per campanam, C. V.; in C. M., consilium, quod rite concordat cum coadunato. — *[k]* ut superius dictum, C. M.; in C. V., ut supra dictum. — *[l]* prospexerunt. Sic lego; alii legunt perspexerunt. — *[m]* Ravennatum exercitus. Sic legendum putat Cl. Mitt. In Codd., Ravennates exercitus; fortasse adjective sumpto Ravennates. — *[n]* apud Cesaurolam, C. M.; sed supra habuit Cesaraulam. — *[o]* linguis Francigenarum. Sic Codd. M. et A.; francorum, C. V. Nota, ab his verbis usque ad petitionis Comitis, codicem M. novo atramento esse oblinatum, et fortasse interpolatum; quo fit ut vera lectio dari non possit. — *[p]* et quo iverunt, Codd. M. et A.; fuerunt, C. V. — *[q]* nostro in territorio, C. V.; nostro territorio, sine in, C. M.

[A] Alberetum, vulgo Albereto, sive Albereda, nunc paroecia ruralis, sex circiter milliariis ab urbe versus castrum Russii, ortum inter et septentrionem, locata. Prata, vulgo Prada, paroecia et ipsa ruralis, ad milliarium unum sub Albereto.

[B] Sanctus Proculus, vulgo la Pieve del Ponte. Est ecclesia juxta viam Aemiliam, proxima Castro Bononiensi, ab urbe quarto circiter lapide.

*Thomus coll** Comes dicit: ubi hostes sunt? At illi: inciderat arborum et achuc in nostro territorio iacerent.
Inde postidie (summo mane del. et superse.) sub diluvio (ad del.) Favent. ad duo miliaria una cum Gallis non longe a Ravennatis castrensis sunt, et mere facti comes et nepos eius cum Favent. viriliter (superse.) agseri sunt Rava. in campo de Contra vocata.
Accidit quod ...